



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

Epistola I. Honorii Papae III. Ad Henricvm III. Angliae Regem. Eum ad  
Christiane viuendum hortatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

## EPISTOLA I.

## HONORII PAPÆ III.

AD HENRICVM III. ANGLIÆ REGEM.

Eum ad Christiane viuendum hortatur.

*Honorius regi Anglorum.*

**C**VM te tamquam ecclesiæ Romanæ filium specialem sincero diligentes affectu, cupiamus vt apud Deum & homines proficias sapientia & ætate, libenter salubribus monitis præmunimus; quæ tanto altius cordi tuo debent infigi, quanto ex maiori nostræ mentis affectione procedunt. Quia igitur timor Domini est fons vitæ, qui se potatos a peccato præseruans, erudit salutem, præstansque fiduciam fortitudinis, quos afficit reddit ab hostibus mentis & corporis tutiores, serenitatem regiam monemus & hortamur attente, quatenus ab adolescentia tua timori Domini assuescens, in eo teneas te instanter; teque a vitiis continens, virtutibus imbui satagas studiose, sponsamque Christi ecclesiam, & ministros ipsius, in quibus idem honorari & sperni se asserit, humiliter venereris: vt de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem, subiectum tibi populum in pulcritudine pacis & requie opulenta gubernes; & dies super dies regis adiiiciens, Dominus annos multiplicet vitæ tuæ, tandemque de terreno & transitorio te ad regnum caeleste prouehat & æternum. Et quia mores solent a conuictu formari, familiares habere studeas prouidos & honestos qui salutem & honorem tuum sincere zelantes, ea tibi fideliter consulant, quæ Deo & hominibus debeant complacere.